



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 37. Joannis Hieronymi Lomellini Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

## §. XXXVII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1659.*Joannis Hieronymi Lomellini Cardinalis decessus.*

Alter erat Joannes Hieronymus Lomellinus patria Genuensis, qui Romæ jactis studiorum fundamentis, Perusii ad Jurisprudentiæ studium animum adjecit, sui que profectus ac eruditionis specimen edidit, elucubratis ex utroque jure problematibus. Erat Vir ingenio, pietate, justitia, animi candore, ac morum suavitate eximius, in omnibus negotiis usu peritus, in exequendo promptus, atque in justitiæ cultu impavidus. Harum virtutum merita Urbanum VIII. impulere, ut Joannem sacræ militiæ adscriptum nominaret Ferrariensem & Bononiensem Pro-Legatum, Urbis Prætorem, Cameræ Clericum, & Pontificii exercitus Commissarium Generalem. Defuncto hoc Pontifice ab Innocentio X. Thesaurarius, ac demum Cardinalis Presbyter renunciatus, Bononiæ Christinam Sueciæ Reginam excepit, qui tamen quarto post anno die quinta Aprilis nonnisi annos natus quinquaginta duos Romæ e legatione sua reversus decessit.